24522 LP [P]

DISSERTATIO
PATHOLOGICA.

Exponere Theoriam Morborum internorum Capitis, Thoracis & Abdominis, abſque ſuppoſitione Spirituum Animalium.

PROPOSITA

AB ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.

ANTONIO DEIDIER,

Regis Conſiliario & Medico, nec-non in almâ Monſpelienſium Medicorum Academiâ Chymiæ Profeſſore Regio digniſſimo.

Quam Deo favente, & auſpice Dei-parâ, propugnabit in auguſtiſſimo Monſpelienſis Apollinis Fano; Die mensis Junii, an. 1720. ab horâ octavâ ad meridianam, LUDOVICUS JOYEUSE Milliavenſis, apud Ruthenos, Artium Liberalium Magiſter, & Jamdudum Medicinæ Studioſus.

Pro primâ Apollinari laureâ conſequendâ.

pr mr Joannes professeur en medecine a aix.

MONSPELII,
Apud JOANNEM MARTEL, Regis, Univerſitatis, Cleri & Urbis Typographum. 1720.

DISPUTATURI

318332

PROFESSORES REGII.

R. D. Franciſcus Chicoyneau, *Cancellarius & Judex.*
R. D. Joannes Bezac, *Decanus.*
R. D. Petrus Chirac, *Sereniſſimi Principis Regentis Archiater.*
R. D. Petrus Rideux.
R. D. Antonius Magnol.
R. D. Joannes Aſtruc, *R. D. Chirac Coadjutor.*
R. D. Jacobus Chaſtelain.
R. D. Henricus Haguenot.
R. D. Jacobus Lazerme, *R. D. Bezac Coadjutor.*

DOCTORES ORDINARII.

M. Joannes Pitot.
M. Jacobus Piſtoris.
M. Jacobus Martin.
M. Petrus Mathieu.
M. Joannes Lions.
M. Hugo Gourraigne.
M. Antonius Cairol.
M. Jacobus veilier.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE



CLARISSIMO

AC NOBILISSIMO VIRO D. D.

JACOBO DESMASELS

REGIS CUBICULARIO,

CANCELLARIÆ SECRETARIO,

MARCHIONI DE SAINT GELI,

DOMINO DE LOUPIAC, BELLOC, SAILHAC,

SALGUES, MIER, &c.

JATRICI STUDII PRIMITIAS

IN PERPETUUM SUMMÆ OBSERVANTIÆ

MONUMENTUM,

V. D. C.

LUDOVICUS JOYEUSE

MILLIAVENSIS APUD RUTHENOS.

DISSERTATIO PATHOLOGICA.

Exponere theoriam morborum internorum Capitis, Thoracis & Abdominis, Abſque ſuppoſitione Spirituum Animalium.

§ I. SUPREMUS humani corporis venter, capitis ambitu circumſcribitur, faciem anteriùs, mediâ regione ſynciput, poſteriùs occiput, & ex utroque latere tempora complectitur. Faciei interiùs reſpondent viſûs, olfactûs & guſtûs organa; Mediæ regioni cerebrum, lateralibus auditûs organum. Præter externa velamenta toti corpori communia, munimentum oſſeum capiti conceſſum, ad incolumitatem cerebi, & faciei pulchritudinem. Hinc oſſa capitis partim ad cranium ſeu calvariam referuntur, partim ad maxillas. Oſſa cranii ſimul firmiter unita, iis duntaxàt foraminibus inſtruuntur, quibus ſpinalis medulla, cerebroſi nervi, vaſaque ſanguifera, liberè tranſmittantur, nullâ relictâ vacuitate.

§ II. Cerebrum & cerebellum cranio recluſa, recluſa vertebris medulla ſpinalis, nervique omnes per ſingulas partes diſperſi, unicum conſtituunt fibroſum viſcus, ex arteriis & venis duntaxàt conflatum, quod dura & pia meninx undequaque inveſtiunt. Viſcus illud ſenſationibus & motui muſculari deſtinatur, quatenùs ſolidum eſt ubique continuum, cujus variæ motiones facilè tranſmittuntur ab unâ parte ad aliam. Illius ſolidi motus, qui tranſmittitur à parte ſenſibili ad cerebrum, conſtituit materiale ſenſationum externarum; qui in ſolo cerebro perficitur, ſenſus internos parit; qui tranſmittitur ab ipſo cerebro ad partes voluntati ſubjectas, concurrit ad motum voluntarium; qui à cerebello, vel medullâ ſpinali, vel ab ipſis nervis (immoto cerebro) in nervos tranſit; fit abſque ullo voluntatis actu, & dicitur merè mechanicus. Anima humano corpori unita nec à corpore afficitur, nec corpus afficit, niſi per eas cerebri fibrillas, quæ cum ſint ſenſuum externorum nervis continuæ, dicuntur Emporium conſtituere. Singuli nervi, fibrillæ quoque ſunt, quæ continuitatis ratione, abſque ullâ peculiaris liquidi tranſmiſſione, indefinitis modis communicant tùm inter ſe, tùm cum cerebro, cerebello & medullâ ſpinali. Nervi ad ſenſum motumque idem fermè præſtant, quod navium cordæ ad explicanda & replicanda vela.

§ III. Hæc Noviſſe oportuit, ut læſiones functionum animalium intelligantur. Functiones animales ſunt ſenſus & motus. Hi abolentur vel notabiliter imminuuntur in Apoplexiâ, Caro, Epilepſiâ, Catalepſi, Comate atque Lethargo. Depravantur in Phrenitide, Maniâ, Melancholiâ, Vertigine ac Dolore. Externi verò ſenſus & motus

muſcularis læduntur in Paralyſi, Tremore, Morbis Convulſivis & Hydrocephalo.

§ IV. Apoplexia, ſi definiatur ratione ſymptomatum, *ſubitanea erit ſenſûs motûſque voluntarii privatio, cum laxitate membrorum.* Si morbi ratione, *morbus erit vaſorum in anguſtiâ, cujus ratione, fibrillæ cerebri ac nervorum ſenſibus externis proſpicientium debitis orbantur motibus, fiuntque ad ſenſum motumque voluntarium impares, & corporis membra reſolvuntur.* Procedit hæc anguſtia, ex turbato derepentè ſanguinis circuitu, quo fit ut læſarum fibrillarum arteriæ parùm vel nullatenùs oſcillent. Apoplexia dicitur idiopathica, cum ipſum anguſtatur cerebrum à depreſſo cranio, ab extravaſato ſanguine, ab abſceſſu, ab tumore interno cerebri. Sympathica verò, cum vitium à primarum viarum vitio ortum ducit. Omnis Apoplexia eſt morbus acutus, fortis aut levis eſt, hæc periculoſiſſima, lethalis illa.

§ V. Carus ex ſymptomatis eſſentialitèr ſtipantibus, *ſomnus eſt præternaturalis, profundus, in quo tamen membra retrahit æger ſi pungatur; oculos aperit ſi inclametur; nec reſpondet, ſed confeſtim ex puncturâ, ex inclamatione altè ſopitur.* Morbus is eſt vaſorum, *in eâ cerebri anguſtiâ, ex quâ nervi optici acouſticique ſuas non niſi levitèr impreſſiones tranſmittunt, alii verò nervi debitè tranſmittunt.* Caro ſuccedit interdùm Apoplexia; nec mirum, cum cauſa quæ memoratos lædit nervos, poſſit facilè in reliquos diffundi.

§ VI. Epilepsia, morbus ſacer, comitialis, ſonticus, herculeus, caducus & puerilis, vulgò *eſt ſubitaneus in terram prolapſus, cum totius corporis vel quarumdam partium concuſſione, ſenſuum-*

que abolitione aut ſaltem imminutione. Perfecta dicitur, cum ſenſus penitùs abolentur, & membra fortiter convelluntur. Imperfecta, quam comitantur leves convulſiones, ſenſuſque duntaxat imminutus. Definiatur verò, *morbus vaſorum, in eâ totius cerebri anguſtiâ inæquali, ex quâ fit, ut aboleantur ſenſus externi, & muſculorum nervi inordinatè moveantur.* Fit igitur Epilepſia ex inæquali, turbato ac diſperſo per cerebri fibrillas arteriarum motu. Eſtque modò idiopathica, modò ſympathica, periodica ſemper vel erratica, interdùm hæreditaria, ſæpè adventitia & frequens in pueris, undè puerilis audit. Quæ natalibus propior, curabilis eſt, quæ poſt an. 25. ferè nunquam. Perfecta in Apoplexiam deuteropaticam interdùm degenerat.

§ VII. Catalepsis, iis ſtipatur ſymptomatis, ut definiatur apud Practicos, *ea functionum animalium abolitio, in quâ ægrotantis membra, per ſe quidem immota remanent in eodem ſtatu in quo æger correptus eſt, ſed ſi ab adſtantibus moveantur, quemlibet alium ſuſcipiunt ſitum, retinentque.* Abolitio ſenſûs & motûs voluntarii ex motione fibrillarum cerebri nullâ, illæſis remanentibus nervoſis partium fibris. Motûs coacti obſequium, ex mutato ab externâ movente cauſâ ſanguinis motu; & impertitus retinetur ſitus, ob ſenſûs dolorifici defectum, & quod poſtremus ille ſitus nullâ novâ immutetur causâ. Cauſa hujus morbi in ſolo cerebro latens, anguſtia eſt ſimilis anguſtiæ Apoplecticorum. Iſti læſos habent cum cerebro nervos, Cataleptici verò ſolum cerebrum. Non ſemel dicti ſunt Cataleptici, qui verè Apoplectici vel Epileptici fuerunt. In Apoplecticis dimota membra ut potè laxa

recidunt,in Catalepſi inductum ſitum retinent,ut potè Sana. In Epilepticis reſiſtunt membra,non obſequuntur, quia convulſa. In Cataleptico obſequuntur facillimè. Catalepſis periodica interdùm eſt, ſique recurrat ſæpius, aut demùm fatuitatem inducit, aut morte terminatur. Hæc dicta ſunto de Catalepſi legitimâ; in quâ voluntarius aboletur motus, & ſenſus omnimodè ſopiuntur. Quod ſi fuerint duntaxàt hebetes, & ægri tranſacta in proxiſmo recordentur, ut Galenus aliique referunt, Catalepſis erit ſpuria, vergetque ad Carum vel ad Coma vigil. Hanc quoque dixere Majores Catochen, deprehenſionem, detenſionem, & non nulli habuerunt pro Lethargo. Non diſtinxere ſatis affectus ſoporoſos. Move ſoporati membra; ſi datum ſitum retineant, is erit Catalepticus.

§ VII. Coma duplex, ſomnolentum & vigil. Prius quod & cataphora & ſubeth avicennæ, *ſomnus eſt præternaturalis, altiſſimus, ex quo tamen excitatur æger vociferationibus, oculos aperit, reſpondet interrogatus, moxque claudit oculos, & in ſomnum ſuum relabitur.* Tantus ſomnus à levi proficiſcitur infartu cerebri, quem excitatæ in fibrillis ſuccuſſiones ad breue tempus diſcutiunt. Ideoque definiendus, *morbus vaſorum, in eâ cerebri anguſtiâ, cujus ratione ſenſus ſopiuntur, niſi ab externâ causâ validâ exſuſcitentur.* Raro morbus eſt per ſe ac idiopathicus. At Coma vigil, quod & Thyphomaniam vocant, *gravis eſt ad ſomnum propenſio, ſed inutilis, cum delirio perpetuo & proſtratis viribus.* Æger clauſis decumbit oculis, nec dormit, ad minimum enim ſtrepitum aperit oculos, inconcinnè loquitur, corpus agitat, ac interdùm, ſi ſatis foret virium, exiliret è lecto. Delirium & dejectæ vires

probant utique ſummam fibrillarum debilitatem, & inordinatum motum. Coma vigil ſæpè febres malignas comitatur. Terminatur citò & plerumque ad mortem. Acutus igitur morbus eſt & lethalis.

§ IX. Lethargus ſeu Veternus, *eſt ſomnus præternaturalis & profundus, cum febre lentâ conjunctus, à quo æger excitatus delirat, & rerum in vigiliâ geſtarum obliviſcitur.* Quatuor hoc genus morbi conſtituunt, febris lenta, olivio, delirium & ſomnus. Hujuſmodi ſymptomata profert ſanguis ſeroſior, præternaturam circulans & cerebrum relaxans. Ex quo fit ut Lethargus ſit, *morbus humoralis in eâ vitiatâ ſanguinis qualitate, cujus ratione producuntur febris lenta, ſomnus, oblivio & delirium obliviofum.* Morbus hic non eſt ſimplex ſed ex pluribus unus. In eo febris eſt morbus primus. Huic ſuccedit vitium cerebri, quod ideò ſecundus eſt morbus. Cerebri fibræ à ſero imbutæ anguſtantur, relaxantur, motionibus continuandis fiunt ineptæ. Hinc oblivio & ex oblivione delirium, quod cum peculiare ſit hoc in caſu, non malè dixeris obliviofum. Morbus is eſt plerumque acutus. *Lethargici intrà ſeptem dies moriuntur*, ait Hyppocrates, *quos ſi evaſerint ſalvi fiunt.* Ergò Lethargus morbus eſt interdùm periculoſus.

§ X. Phrenitis dicitur, *cum adſunt delirium perpetuum, circa quævis objecta, acuta febris & robur quoddam indomitum.* Ex acutâ febri ſerum diſſipatur & ſanguis uberiùs fluit. Tenduntur ultramodùm cerebri fibræ ab uberiori ſanguinis proventu & defectu ſeri. Ex nimiâ illâ tenſione ad minimam objectorum impulſionem, eædem moventur, idque creberrimè atque inordinatè, & hinc delirium: Et ab uberiori rareſcentis ſanguinis copiâ

robur illud membrorum ferox & atrox. Itaque Phrenitis definiatur, *morbus humoralis, in eâ ſanguinis qualitate, cujus ratione prodeunt memorata ſymptomata.* Morbus hic acutus eſt, periculoſus & interdùm lethalis, ſed & interdùm vertitur in Coma vigil aut in Letargum.

§. XI. Mania *eſt delirium univerſale, citrà febrim.* Eo morbo correpti ſunt inediæ, ſitis, laboris, algoris, vigiliæ ultramodùm patientes, robuſti, feroces, contumaces. Hæc viſcidum ſanguinem arguunt, quo præter naturam tenduntur cerebri fibræ, hæ inordinatè moventur, hinc delirium. Fit ex ſanguinis craſſitie, ut iſte non dividatur ad excitandam febrem. Ex eâdem ſanguinis craſſitie & rareſcentiâ, corpus Maniacorum patiens eſt & robuſtum, eorumque pertinacitas, impetus ac ferocia. Quapropter Mania, *Morbus eſt humoralis, in eâ ſanguinis qualitate, cujus ratione fit delirium univerſale, citrà febrim.* Is eſt interdùm continuus, interdùm ſuis diſtinctus paroxiſmis, & interdùm erraticus, plerumque diuturnus & contumax. Vix remediis expugnatur, ſed poteſt nihilominùs criticè terminari, ſi criticè mutetur craſis ſanguinis. Judicatur ad mortem, ſi Phrenitis acceſſerit, ad ſalutem verò ſi febres ſupervenerint intermittentes, aut fluxus hæmorrhoidum, & in virginibus cum erumpunt menſes antè ſuppreſſi.

§. XII. Melancholia in eo à Maniâ diſcrepat, quod circa unicum aut unum & alterum duntaxàt objectum, delirium ſit: ſed utraque citrà febrem, & in eo conveniunt. Rectâ utuntur ratione Melancholici, circa objecta circa quæ non verſatur eorum delirium, hi verè ſunt & ſani mente & inſani. Lycantropi prorumpunt in ululatus lupinos qui ſe lupos

eſſe delirent. Cucurbitam ſibi eſſe caput, aut naſum alii, ſe vitreas eſſe phialas, ſe cuniculos eſſe alii delirant. Furit fœmina circa res venereas in furore uterino, non nulli oberrantes in ventre ſcarabeos perſentire ſibi videntur. Hydrophobi dentibus ſtrendent ad aquæ conſpectum, & ab eâ furiosè refugiunt. Vigilantes ſagæ certò credunt ſe nefariis interfuiſſe per noctem conventibus, dum ſtipites in lecto fuerunt; aliique cuncti qui in ſuis erroribus obfirmatâ mente obdurant. Melancholici non ſemper mœſti, ac obnubili, ſed ſi quis delirantium opinioni contradixerit, iracundi. Fave abſonæ delirantis ſententiæ, cum ſe Regem, ſummum Pontificem, opulentum prædicat, confeſtim explicabit frontem, & ſponſorem habebis qui te ſit beaturus. Sed undè certum ac fixum illud ejus delirium? hoc vitium ex eo contrahitur, quod non nullæ cerebri fibræ vividè ſuſceptam alicujus objecti impreſſionem ita retineant, ut nequeant ab eâ impellentibus etiam aliis objectis dimoveri. Hæc autem hujuſmodi fibrarum firmitas, ex factâ aut repentè aut ſenſim o ſtructione, aut nimiâ tenſione; hinc ea pertinax ejuſdem objecti obſervatio. Reliquæ verò cerebri fibræ, liberè fluente per eas ſanguine, varias ſuſcipiunt ac veras exhibent animæ variorum objectorum impreſſiones: Et hinc recta Melancholici aliorum objectorum perceptio, & præterquàm in inducto jam errore mens ſana. Proindè ſic miſerum illud vitium definias. Melancholia *eſt morbus vaſorum in meatu & cavitate, non totius ſed partis cerebri, ex quo naſcitur circa objectum quoddam peculiare, delirium, idque ſine febre.* Si diu perſeveraverit hæc rationis læſio, in Maniam demùm deciſcit; nimirum ob ſenſim inductam quaſi contagio ſanis cerebri fibrillis nimiam

nimiam tenſionem. Melancholia diuturnus eſt morbus, nec ut plurimùm niſi cum ægro extinguitur. Non nullos ad fatum præcipitat, Hydrophobos, Lycantropicos, rabie caninâ correptos, & vexatas furore uterino. Hic affectus is eſt, ut ſæpius eludat opem medicam, niſi Medicus ipſe factus quaſi credulus deliramenti, aliud agens opus ſuum agat, & eliciat ab ægro ſuâ ſolertiâ infecti fidem facti.

§. XIII. Vertigo deſcribi ſolet *Imaginatio depravata falſæ circumgyrationis objectorum.* Accidentalis eſt vel habitualis. Prior caſu & fortuitò fit, plerumque à causâ externâ. Poſterior fomitem habet in corpore reconditum. Simplex ſeu levis, & compoſita ſeu tenebricoſa eſt. Simplex & levis dicitur, in quâ naturalis objectorum color obſervatur, & viſio perficitur abſque gravi ſymptomate. Compoſita ſeu tenebricoſa, quam ſequitur visûs obſcuritas, corporis lapſus, cordis palpitatio, aliaque gravia ſymptomata. Viſio fallitur in omni Vertigine; non enim circumaguntur objecta, ſed videntur circumagi. Igitur repetatur hic error, non à cerebri, ſed ab organi viſionis vitio. Fibrillæ nervi optici circa ejus inſertionem in oculum ita tremunt in hoc affectu, ut commotâ primâ, ſecunda moveatur, dehinc tertia & ſic deinceps, facto recurſu ad primam. Tremulus ille fibrarum motus plerumque procedit ex inordinato ſanguinis circuitu circa nervum opticum, ſic plurimi à gravi morbo convaleſcentes Vertigine tentantur, quod cum diu compreſſiores remanſerint venæ jugulares dum decumbebant, hæ non potuerint ſanguinem à cerebro eâ proportione revehere quâ ferebatur per arterias carotides & vertebrales ad cerebrum. Ideoque definiatur Vertigo, *Morbus in eâ vaſorum nervi optici anguſtiâ, cujus ratio-*

ne fibrillæ nerveæ ita ſucceſſivè moventur, ut objecta circumrotari videantur. Affectus hic familiaris ætati ſenili eſt. Idiopathicus obſervatur vel ſympathicus. *Vertigo tenobricoſa in febre eſt ſignum deſperatum, ex Hyppocrate.* Idiopathica verò & tenebricoſa, quæ ſine febre ſæpius recurrit, futuram prænuntiat Epilepſiam vel Apoplexiam imminentem. Vertigo levis per ſe curatur, habitualis ſimul & ſympathica curationem admittit, ſed morbus eſt periculoſus.

§. XIV. Dolor Capitis recens dicitur Cephalalgia, vetus autem Cephalæa, eſtque *triſtis ac moleſta ſenſatio, quam præternaturalis nervoſarum Capitis partium motio procreat.* Dividitur in univerſalem & particularem, & hæc Hemicrania eſt. Item Dolor Capitis dividitur in internum & externum, in morboſum & ſymptomaticum; in continuum & intermittentem; in periodicum & erraticum; eſt quoque vel tenſivus, vel pulſativus, vel frangitivus, vel gravativus, acutus vel obtuſus, calidus vel frigidus. Omnis Dolor eſt ſymptoma actionis læſæ, quod ſolutam unitatem partis ſenſibilis ſequitur. Hic ergò Dolor Capitis eſt *Morbus vaſorum, in compoſitione vitiatâ, nempè ſolutæ unitatis, ex quâ nervoſæ Capitis fibrillæ ita moventur, ut triſtem ac moleſtum inducant ſenſum.* Si poſt diuturnum Capitis Dolorem, *Vertigo ſine febre, tarditas vocis & manuum ſtupor ſuperveniant*, inquit Hyppocrates, *timendum eſt ne ægrotantes fiant Apoplectici, vel Epileptici, vel Lethargici.* Tunc autem tres iſti affectus ſunt morbi deuteropatici, prout Dolori Capitis ſuccedunt.

§ XV. Paralysis eſt *abolitio vel imminutio maxima ſensûs & motûs, aut alterutrius duntaxàt, cum affectarum partium relaxatione.* Duplex admit-

ritur, perfecta, in quâ ſenſus & motus abolentur; & imperfecta, in quâ ſenſus & motus notabiliter imminuuntur, vel motus læditur illæſo ſenſu, vel ſenſus afficitur illibato motu. Ea rurſus dividitur in particularem, quæ affectarum partium nomen plerumque retinet, & univerſalem quæ vera eſt Apoplexia. Paralyſim univerſalem diviſerunt Majores *in Paraplegiam*, cum afficiuntur omnes partes Capiti ſubjectæ, & *Hemiplegiam*, cum dimidia tantùm corporis pars à ſummo ad imum reſolvitur. In omni Paralyſi fibrillæ nerveæ à ſeroſo latice ita laxantur, ut vel moveri nequeant à parte reſolutâ ad cerebrum, unde privatio ſensûs; vel conſtrigi nequeant in muſculis, unde motûs ceſſatio. Cum ſingulæ totius nervi fibrillæ laxantur & in trunco & in muſculis tunc eſt Paralyſis perfecta; cum laxantur in trunco & tenduntur in muſculis, motus perficitur, ſenſus perit; cum è contrà laxantur in muſculis & tenduntur in trunco, perit motus & ſenſus remanet. Hinc Paralyſis definienda, *Morbus vaſorum in præternaturali nervorum laxitate & reſolutione; ex quâ pereunt aut ſaltèm imminuuntur ſimul ſenſus & motus, aut illorum duntaxàt alteruter.* Paralyſis particularis ſæpè præſagit univerſalem, linguæ reſolutio Apoplexiam portendit, Apoplexiæ interdùm ſuccedit Paralyſis deuteropatica, & hæc plerumque contumax eſt.

§. XVI. TREMOR, definiente Fernelio, *motus eſt depravatus, ſuſpenſum membrum præter voluntatem concutiens.* Cui manus tremuerit, is non poterit manum inter ſcribendum regere, nec inter cibos ori ingerendos. Prorsùs eſt in tremore lucta regentem inter & membri pondus. Senes tremunt ob ariditatem fibrarum carnoſarum. Eodem pacto qui à gravi morbo con-

valeſcunt: Ebrioſi, ex frequentiori ac nimis largo vini & aquarum ardentium potu; hinc enim fatiſcunt fibræ muſculares. Infantes verò non regunt membra ſua, quod totum eorum corpus mollius ſit & laxius; ſed hoc, vitium in eis non eſt, fiunt enim proùt adoleſcunt firmiores; vitium eſt in irâ percitis, in metu perculſis, ob inordinatè fluentem per muſculos ſanguinem. Omninò morbus hic à muſculis repetendus. Itaque tremor eſt *ſymptoma, in imminutâ muſculorum actione, ratione cujus non poteſt quis membra ſuſpenſa regere, & immota cum voluerit retinere.* Is affectus eſt plerumque diuturnus, ſenes ad obitum comitatur, in juventute, ſæpè præcedit Paralyſim, periculoſus per ſe non eſt.

§. XVII. MORBUS Convulſivus vulgò diſtinguitur in ſpaſmum ſeu convulſionem, & motum ſpaſmodicum ſeu convulſivum. In ſpaſmo membrum remanet immotum, rigidum, inflexile, quod obſtinatè contrahantur illius muſculi. In motu ſpaſmodico vehementer agitatur & obnixè variâ muſculorum contractione. Morbus Convulſivus proùt & ſpaſmum & motum ſpaſmodicum complectitur, hanc obtinebit definitionem; *Eſt ſymptoma in actione depravatâ muſculorum, qui contrahuntur ita, ut aut membrum maneat immotum, rigidum & inflexile, aut agitetur obnixè ac vehementer.* Propriè dicta Convulſio univerſalis eſt aut particularis. Prior triplex ſortitur nomen. *Tetanos* eſt cum muſculi corpus flectentes & extendentes ſunt omnes ſimul in contractione; *Emproſtotonos*, cum ii ſolùm qui flectunt corpus ad partes anteriores; Et *Opiſtotonos*, cum ii duntaxàt contrahuntur muſculi, qui ad partem poſticam truncum retrahunt. Convulſio particularis plerumque ab affectâ parte nomen ſibi mu-

tuatur. Motus verò convulſivi denominantur vel à partibus affectis, vel ab aliis morbis quorum ſunt ſoboles. Hinc motus Hyſterici, Hypocondriaci, Scorbutici, Epileptici. Ut plurimùm periculoſus eſt omnis morbus convulſivus, ac præſertim ſi fuerit univerſalis, ſi cum notabili functionum læſione; interdùm acutus & lethalis eſt. *Qui Tetano corripiuntur*, ait Hyppocrates, *intrà ſeptèm dies pereunt, quos ſi evaſerint ſalvi fiunt.* Idiopathicus eſt citra febrim, aut ſympathicus & ex febre. *Febrem convulſioni ſupervenire, melius quàm febri convulſionem*, ex eodem auctore. Item ſi ſpaſmo febris acceſſerit, morbum ſolvit.

§. XVIII. Hydrocephalos, qui & Hydrops Capitis, fit ex ſeroſâ colluvie, vel totum Caput, vel inſignem ejus partem invadente; is erit externus, ſi diffuſum fuerit ſerum cutem inter & pericranium, aut pericranium inter & cranium; internus, ſi cranium inter & meninges, aut meninges inter & cerebri ſubſtantiam; & nuncupabitur univerſalis cum ſimul & internus & externus fuerit. Serum autem reſtagnat, vel quod hæreat in ſuis vaſis prætermodùm laxatis, vel quod extrà vaſa ſua diffuſus aliorum vaſorum obſideat interſtitia. In utroque autem caſu, ſeroſi ductus ſunt ultramodùm dilatati, quocircà definiendus Hydrocephalos, *Morbus vaſorum in dilatatione ſeroſorum ductuum Capitis, ex quâ fit ut ſerum exundet, hæreatque in Capite.* Morbus hic pueris familiaris eſt, interdùm adventitius, congenitus interdùm. Externus raró curatur, unde periculoſus; internus lethalis eſt quod nunquam curetur; univerſalis naturam obruit.

§. XIX. Jam de morbis Thoracis diſſerendum. Inter hos Catharrum, Anginam & Incubum, contra Ma-

jorum ſententiam retulimus. Thorax, ſeu venter medius, à claviculis extenditur ad cartilaginem xyphoideam. His ſternum interjacet. Vertebræ dorſi poſticam ejus partem definiunt, infimam Diaphragma, illudque coſtæ circumſepiunt, quæ ſingulæ ſuis inſtruuntur muſculis Thoracicis nomine. Intrà cavum Thoracis ſunt pulmo, & cor. Partes pulmonis dextra & ſiniſtra dirimuntur ſepto quod ab ſterno ad vertebras obtenditur. Idemque ſeptum in ſaccum inter ambos pulmonis lobos diducitur, & intrà hunc ſaccum eſt ſedes cordis. Saccus ille pericardium dicitur. Pulmo machina pneumatica, gutturi per trachæam appenditur, cum dilatatur Thorax, aer externus irruit per os & trachæam in bronchia, & à bronchiis in veſiculas pulmonares. Hæc aëris externi admiſſio, inſpiratio eſt. Expiratio verò, cum ex contracto Thorace aër ante admiſſus expellitur: & reſpiratio ex his alternatim factis reſultat. Hæc à natalibus fovet ſanguinis circuitum, eâque prorsùs intercidente, intercidit vita. Itidem Cor, viſcus muſculoſum, alternatìm accipit ſanguinem & expellit, cum dilatatur accipit, & cum conſtringitur in univerſum corpus diffundit. Duplex ille cordis motus eſt dyaſtole ac ſyſtole. Cum præternaturæ modum anguſtantur trachææ principium, trachæa ipſa, muſculi pectorales, pulmo, cor, tunc præcipui gignuntur interni morbi Thoracis.

§. XX. CATHARRUS defluxum ſonat, ſumiturque in genere apud Priſcos, *pro quovis materiæ peccantis à parte in partem fluxu*. Specialiter verò, *pro pituitæ defluxu à cerebro in ſubjectas partes*. Defluxus ille pituitæ factus ad nares, Coryzæ nomen obtinuit, ad fauces Bronchi, ad pectus Rheumatis & interdùm Catharri ſuffocantis; ſed pituitam é cerebro non de-

fluere oſtendunt præcluſæ à cerebro ad ſubjectas partes viæ, nec id perpetuo humorum circuitui poteſt accommodari. Deducendus ergò defluxus ille ſeroſus non à Capite, ſed ab ipſo ſanguinis lacu. Exundans mucus narium facit Coryzam; humor bronchialis Raucedinem & Rheuma. Graves fiunt, principio Catharri, partes ubi ſerum colligitur, imò & partes adjacentes & Caput, dehinc excitatis in elaterem diſtentis vaſis ſerum ejicitur, & ſubſidente gravedine matureſcit Catharrus. Is propterea definiatur, *Morbus vaſorum in eâ meatuum anguſtiâ quæ fit à repentino defluxu ſeri*. Quæ matureſcente Catharro febres accidunt, appellantur catharrales, hinc febris rheumatica. Coryza eſt auctore Celſo morbus plerumque levis, Raucedo pejor, Rheuma peſſimus, & *raucedines gravedineſque in valdè ſenibus non admittunt*, Ex Hyppocrate, *Coctionem*. Pulmonum Catharrus tunc dicitur ſuffocans, cum ſummam inducit reſpirandi difficultatem, & is plerumque lethalis eſt.

§ XXI. Angina *eſt deglutiendi ſimul & reſpirandi difficultas, ex faucium anguſtiâ.* Hæc legitima vel ſpuria, in illâ inflammantur fauces & plerumque febris adeſt, in hâc abeſt febris, & fauces comprimuntur à vertebrarum colli luxatione, à tumore parotidum, aut adjacentium partium aliarum. Definiendus ita hic affectus eſt *Morbus vaſorum in anguſtiâ faucium, ex quâ exoritur reſpirandi ſimul & deglutiendi difficultas*. Cum inflammatur baſis linguæ, ea non poteſt ſolida in œſophagum depellere; per eam magis fluunt liquida quàm propelluntur. Si guttur fuerit penitùs anguſtatum & lingua ſana, viam poterit linguâ ſolidis facere, non liquidis; propulſa liquida non poſſunt gutturis obſiſtentiam vincere ſed refluunt, ſolida obſiſtendo vincunt. Angina

eſt morbus acutus, periculoſus, ac ſæpè lethalis.

§ XXII. Incubus, Ephialtes, Epilepſia nocturna, Aſthma nocturnum idem ſonant, ſignificantque, *eam dormientium difficultatem reſpirandi, quæ iis vagam quamdam rei plerumque horrendæ pectus comprimentis imaginem exhibet.* Turbidum ex eo fit omne inſomnium, quod ſuccuſſis acriter ac inordinatè fibrillis nerveis, inordinatè quoque acriterque ſuccutiantur cerebri fibrillæ. In dormientibus ſi fuerit is membrorum ſitus, ut ex muſculis pectoris alii contrahantur nimiùm, alii relaxentur; ſanguis æque ſemper à corde immiſſus, in contractos impinget, majori verò fertur ad laxiores copiâ. In utriſque ingurgitabitur, perturbabitur que utrorumque motus aut præpedietur. Hinc eſt reſpirationis anguſtia, præfocatio & fibrillarum nervearum ſuccuſſio acrior & inordinata. Hinc terrificum inſomnium, ac timor dormientis. Hoc in caſu, mutato ſitu, & inſomnium diſcutitur, & anguſtata reſpiratio; ſenſimque qui jam inordinatè fluebat per muſculos Thoracicos ſanguis, in pacatum & æquabilem reſtituitur circuitum. Et hinc placida illa excitatorum & jucunda voluptas, quæ poſt aliquos ſubſultus cordis percipitur. Omninò Incubus morbus non eſt, ſed incommodus & gravis reſpirationi dormientium decubitus; quo & ſaniores etiam tentari poſſe probat experientia. Si fugacem ex deſcripto decubitu morbum quis voluerit dicere, non refragabimur; iſque definietur, *morbus in anguſtiâ pectoris, ex quâ in dormientibus quædam quaſi præfocatio & inſomnium exſurgit terrificum.* Erraticè recurrit, cum fuerit tumidior cibis ventriculus; cum decubitus fuerit reſpirationi incommodus, ut plurimùm cum fuerit ſupinus, cum ſtragulis pectus nimis

nimis compreſſum fuerit. Cùm frequentiùs inſeſtat pueros, præſagit Epilepſiam deuteropaticam. Incubus, quem Diurnum non nulli dixere, Epilepſia eſt imperfecta. Et cùm apud Romanos graſſatus eſt epidemicè, contracta fuit epidemica ad Incubum diſpoſitio, non morbus.

§ XXIII. Asthma, ſive anhelatio, *eſt reſpirandi difficultas, ſine febre.* Duplex illud, pectorale ac plumonare. Prioris ſoboles eſt Incubus, & cauſa vitium muſculorum pectoralium. Aſthma verò pulmonare oritur ex pulmonum anguſtiâ, & proùt eſt ſtertore ac ſybilo ſtipatum, propriè Aſthma dicitur; ſi abfuerint ſtertor & ſybilus, *dyſpnœa* ſortitur nomen. *Dyſpnœa* autem ſimplicem reſpirandi difficultatem ſonat. Cùm tanta eſt reſpirandi difficultas, ut quis non poſſit auras ducere niſi erectâ cervice, tunc audit *Ortophnœa*. Rurſus Aſthma, pro variis conditionibus, dicitur humorale vel convulſivum, humidum vel ſiccum, continuum vel intermittens, periodicum vel erraticum, calidum vel frigidum, hæreditarium vel adventitium. Hanc ejus habe definitionem, *Aſthma eſt morbus in anguſtiâ pulmonum, ex quâ fit æger anheloſus, nec febre tentatur.* Affectus hic diuturnus utplurimùm & contumax eſt, raró perfectè curatur, nec tamen lethalis aut etiam periculoſus, niſi ſumma adfuerit *Ortophnœa*, & corpus fuerit cacochymum.

§. XXIV. Peripneumonia definitur à Practicis; idque ratione ſymptomatum, *difficultas reſpirandi cum febre ardenti, gravativo pectoris dolore, tuſſi moleſtâ & ſputo cruento.* Hæc pulmonum inflammationem arguunt. His infartis difficilè ducitur aër, ſolutis fit dolor; tuſſis & cruenta ſputa ex ſero & ſanguine extravaſatis; febris verò ex nimiâ ſangui-

nis in pulmonibus colliſione, reſorbtiſque in ejus tranſcurſu infectis in pulmone myaſmatis. Ergo huic affectui variæ poſſent, ſub variis reſpectibus, pathologicæ definitiones convenire: definiatur tamen, *Morbus humoralis, in vitiatâ quantitate ſanguinis, cujus ratione pulmones inflammantur; unde difficultas reſpirandi, aliaque ſymptomata proximè memorata.* Peripneumonia incipiens periculoſa eſt, ſi negligatur fit ſæpè lethalis, ac præſertim ſi univerſum pulmonem obſederit. Item ſi parum ſpuatur, ſi epidemicè graſſetur, ſi corpori fluxo, ſi aliis morbis debilitato acceſſerit. Interdùm vertitur in Vomicam, in Phthiſim, in Empyema, & utplurimùm Plevritidi adjungitur.

§. XXV. Plevritis à Priſcis dicta eſt *dolor lateris pungitivus, cum difficultate reſpirandi, ardenti febre, tuſſi & ſputo cruento.* Sed ea definitio competit Peripneumoniæ, potiuſquàm Plevritidi, quæ vera eſt plevræ coſtas ſuccingentis inflammatio. Hanc ſtatuimus triplicem, legitimam, ſpuriam & complicatam. Legitima eſt dolor lateris pungitivus, cum reſpirandi difficultate ac febre ardenti, ſed citra tuſſim ac ſputum cruentum. Hæc Plevritidis ſpecies oritur, ut mox dictum eſt, ex membranæ coſtas ſuccingentis inflammatione. Spuria eſt dolor pungitivus in latere, ſed externus ac ſine febre, cum reſpiratione difficili. Hanc parit infartus muſculorum intercoſtalium, aut externæ cutis. Plevritis complicata ea eſt, quam definiere Majores. In hâc enim inflammantur ſimul & plevra & pulmones, unde ipſi vulgò nomen Plevro-peripneumonia. Pathologicè Plevritis legitima, *eſt morbus vaſorum in anguſtiâ & inflammatione plevræ, cujus ſymptomata ſunt dolor lateris pungitivus, difficultas reſpirandi ac febris.*

Morbus hic acutus eſt ac periculoſus, & qui procreat interdùm aut Empyema, aut Hydropem pectoris; Plevritis ſpuria morbus eſt levis & fugax; complicata & morbus magnus eſt, & major quàm Peripneumonia ſimplex.

§. XXVI. Hæmoptysis hic propriè ſumitur, *pro expectoratione ſanguinis citra febrem.* Si ſanguis fuerit extrà vaſa diffuſus in trachææ fiſtulam, in ductus bronchiales, in pulmonis veſiculas, neceſſariò prætervecto permiſcebitur aëri & expiratione rejicietur, plerumque cum tuſſiculâ, aliquandò citra tuſſim, idque pro variâ effuſi ſanguinis quantitate, & laryngis exquiſitiore vel obtuſiore ſenſu. Cùm verò ſanguis majori copiâ & celeritate effunditur, quàm ut poſſit ſubitò expectorari, fit difficultas reſpirandi, pectus leviter dolet, tuſſis excitatur; ſi ſanguis quâ proportione effunditur, ſubitò expectoretur totus, tunc ſola expectorati ſanguinis inſpectio morbum oſtendit. Hæmoptyſis ergo definiatur, *Morbus compoſitionis, in ſolutâ unitate vaſorum ſanguiferorum, quibus interna pulmonum cavitates contexuntur; unde fit, ut effuſus ſanguis cum aëre expirato rejiciatur, idque ſine febre.* Dividitur Hæmoptyſis in idiopathicam & ſympathicam. Hæc menſium ſuppreſſioni periodicè ſupervenit, illa erraticè recurrit. *Ex ſanguinis ſputo, puris ſputum,* inquit Hyppocrates; ſcilicet quod hic affectus ut plurimùm poſt ſe relinquat deuteropaticam Phthiſim, aut pulmonum Vomicam.

§. XXVII. Phthisis pulmonaris ſive Tabes, vel Atrophia, hic ſtrictè ſumitur, *pro eâ totius corporis conſumptione colliquativâ, quæ jungitur cum tuſſi, ſputo purulento & febre lentâ:* & hinc definiatur Phthiſis, *Morbus compoſitionis, in eâ ſolutâ unitate pulmonum, quæ dicitur roſio, unde oriuntur colli-*

quativa totius corporis conſumptio , tuſſis , puris ſputa & lenta febris. Hic affectus diſtinguitur in incipientem , confirmatum & inveteratum ; eſtque hæreditarius vel adventitius , deuteropaticus , epidemicus. Phthiſis incipiens curationem admittit , confirmata periculoſa eſt , inveterata lethalis , adventitia curatur interdùm , præſertim ſi fuerit deuteropatica, ex prægreſſâ Peripneumoniâ, vel Vomicâ pulmonum. Hæreditaria plerumque lethalis , epidemica non niſi aëris mutatione domatur. Phthiſis omnis poteſt eſſe contagioſa in ſubjecto diſpoſito.

§. XXVIII. Vomica pulmonum , *eſt abſceſſus in pulmonibus ſenſim genitus , propriâ concluſus cyſtide.* Quandiu abſceſſus eſt nec rumpitur , nulla percipitur functionum læſio : poſt ejus diſruptionem morbus eſt , cujus ſymptomata , vel ſputa purulenta ſine febre , vel ſimilia ſputa cum febre lentâ ac marcore , vel Empyema , ex quo laborioſa reſpiratio. Eſt igitur Vomica , *Morbus compoſitionis , in ſolutâ unitate pulmonaris abſceſſûs , ex quâ fit ut vel ejiciatur pus per ſputa , vel in pectoris cavum effundatur , vel utrumque ſimul contingat.* Rejicitur pús vel abſque pulmonum exulceratione,tuncque febris non ſupervenit; vel cum exulceratione pulmonum, & febrem lentam tunc accerſiri, inducique Phthiſim neceſſum eſt ; vel partim rejicitur pus , partimque in Thoracis cavum ex pulmonum eroſione refunditur , tuncque jungitur Vomica cum Phthiſi pulmonari , & Empyemate. Ea poteſt Peripneumoniæ ſupervenire malè curatæ , & tunc erit deuteropatica. Eadem pro puris quantitate ac qualitate , acuta vel chronica , periculoſa vel lethalis.

§ XXIX. Empyema hic ſpeciatim ſumitur, *pro collectione factâ in Thoracis cavo , aut puris, aut*

ſanguinis extra vaſa ſua diffuſi. Et exhinc laborioſa reſpiratio. Nulla eſt extravaſatio, quæ morbus non ſit in humorum ſitu, quæque non ſit ſolutæ vaſorum unitatis ſymptoma. Ideoque definitur Empyema, *Morbus compoſitionis, in eâ ſolutione continui, ex quâ ſit puris, aut ſanguinis collectio in cavitate Thoracis.* Vel Empyema incipiens eſt vel inveteratum, item ſanguineum vel purulentum. Incipiens & ſanguineum curabile. Inveteratum periculoſum ſemper eſt. Purulentum verò cum febre lentâ & marcore junctum lethale. Idem de eo dicatur, quod cum Phthiſi complicatur. Cùm prodit ex inflicto vulnere, adventitium eſt. Cùm ſuccedit Vomicæ, Plevritidi, Peripneumoniæ, deuteropaticùm.

§ XXX. Palpitatio, ſive ſubſultus cordis vehementer ferientis, vario ac plane diverſo ſtipatur arteriarum pulſu. Ideo palpitat cor, quod proprium ſanguinem per arterias coronarias inæqualiter accipiat. Conus ſubſilientis cordis, dum ad firmam ejus baſim tendit cum impetu, ſi feratur extrorſum, coſtas ferit; Si introrſum, cartilaginem xyphoïdeam. Sæpè hic affectus ſequitur periodicum pulmonis infartum in Aſthmate, in Peripneumoniâ, in pallidis virginum coloribus & Affectione Hypochondriacâ. Affligit continenter, cùm hæret ſanguis concretus ſeu polypus in cordis thalamis, cùm oſſificantur illius valvulæ, arteriæ coronales, aortæ principium & pulmonaris arteriæ. Si religetur in cane vivo prope cor aorta, palpitabit cor, quibus de cauſis dicatur Palpitatio cordis, *Morbus in eâ vaſorum cordis anguſtiâ, ex quâ cor vehementer ſubſilit, cum vario & à Palpitatione prorſus diverſo arteriarum pulſu.* Idiopathica eſt, cùm fit à ſanguine in auriculis, in cordis ſinubus concreto, cùm

ſit ab oſſificatione valvularum, aortæ, arteriæ pulmonaris. Secundaria verò & ſymptomatica, prout ſupervenit Aſthmati, Peripneumoniæ, aliiſque morbis. Idiopathica plerumque chronicus eſt morbus; ſymptomatica ſequitur prognoſim morbi cujus eſt ſymptoma; intermittens curationem admittit, continua incurabilis eſt, ac plerumque deſinit in Syncopem lethalem.

§ XXXI. Syncope deſcribitur *præceps virium lapſus, cum omnium functionum & præſertim pulſûs ceſſatione.* In Syncope ſufflaminatur cordis motus, vix propellitur ſanguis, & hinc tanta functionum interceptio, ut pallidus, frigidus, laxus, & immotus æger ſolâ debili reſpiratione diſtinguatur à mortuo. Parum admodùm contrahitur in Syncope muſculoſum cor, quia motrices illius fibræ notabiliter infarciuntur vel ſanguine vel lymphâ. Definiatur ergo Syncope, *Morbus vaſorum, in eâ fibrarum cordis anguſtiâ, ex quâ ſufflaminato cordis motu, fit præceps virium lapſus, cum interceptione functionum, ac præſertim pulsûs.* Nondum facta Syncope ſed incipiens, Lypothimia dicitur; facta, mortis imago eſt. Diſtinguitur in accidentalem, idiopathicam & ſymptomaticam. Accidentalis fit ab omni pathemate fortiori, ab inſpirato ingrato flatu & ſimilibus. Idiopathica cauſam habet in corde latentem, & plerumque ſequitur continuam cordis Palpitationem. Sympathica fit ex dolore partium nervoſarum & maximè ventriculi; unde fortis Cardialgia parit Syncopem: ſymptomatica aliis morbis accedit, ut febribus malignis & peſtilentibus. Morborum omnium hic eſt accutiſſimus ideoque citiſſimè terminatur vel, ad ſalutem vel ad mortem; adventitia facilè curatur; ſympathica pe-

riculoſa eſt; idiopathica lethalis.

§. XXXII. Exemplis Morborum Capitis & Thoracis, jam ſatis ſuperiùs declaratum eſt, quo pacto morbi ſint pathologicè definiendi. Proximum nunc eſt, ut oſtendatur quo pacto morborum cauſæ pathologicè tractandæ ſint. Erimus ergo, dum internos Abdominis morbos trademus, intenti præcipuè ut ipſorum cauſas inveſtigemus.

§. XXXIII. Abdomen, ſeu venter infimus, à cartilagine xyphoïdeâ ad coxendicem extenditur, ſuâque cavitate recondit eas partes, de quarum morbis jam agendum, ventriculum, inteſtina per meſenterii margines circumducta, & hæc partim obvelat Epiploon; hinc hepar, lienem, pancreas, renes, veſicam. Horum viſcerum ſedes ſupernè dirimitur à pectore per ſeptum tranſverſum, undequaque inveſtitur peritonæo, cui muſculi qui dicuntur Abdominis incubant. Eos verò muſculos contegunt quæ ſunt communia totius corporis tegumenta. Ad ventriculi morbos impropriè referuntur Cibi Faſtidium, Pica, Malacia & Sitis Morboſa: propriè verò Inappetentia, Fames Canina, Coctio Læſa, Cardialgia & Vomitus. Singultus, verè morbus eſt diaphragmatis, nec niſi ſymptomaticè ad ventriculi morbos referendus. Tentant ventriculum & inteſtina Cholera Morbus & Ileus. Inteſtinorum proprii morbi ſunt Colicus Dolor, Alvi Fluxus, ac Dyſenteria. Extrema recti affligunt Teneſmus & Hæmorrhoides. Hepati tribuitur Icterus; obſtructionibus hepatis, lienis, meſenterii & pancreatis, Affectio Hypochondriaca; renibus Diabetes, Nephritis, & Calculus qui & veſicam infeſtat: laborat quoque veſica Iſchuriâ, Dyſuriâ & Stranguriâ;& ad totum Abdomen Aſcites pertinet, concurruntque ad Aſcitis productionem plures

ex partibus in Abdomine contentis. Jam de his morbis ſingulatim agendum.

§. XXXIV. Cibi Fastidium hic propriè ſumitur *pro notabili guſtûs læſione, quâ quis averſatur alimenta ſibi aſſueta, boni ſucci, boni ſaporis & neceſſaria; vel ſaltem iis utitur abſque voluptatis cujuſdam ſuccutientis ſenſu, ac ferè invitus.* Oritur plerumque hic morbus à vitio ſalivæ, in qualitate aut quantitate. Etenim ſi ſaliva fuerit ſalſior, ea reſperget ſuâ ſalſugine alimenta ferè cuncta, & ipſa inſipida; ſi viſcidior aut aquoſior, ſapidorum inviſcabit particulas aut nimiùm diluet; ſi minori fuerit copiâ vel defecerit, exſolvi non poterunt ſapidorum particulæ, quæ organum guſtûs penetrando, guſtum faciunt. Sequitur quoque Cibi Faſtidium organi guſtûs vitia, quæ induxerint ſuccuſſiones ſalſorum, piperatorum, acriorumque aliorum condimentorum, fœdus tabaci maſticati uſus, & immoderati hauſtus liquorum voluptuariorum. Item aboletur aut ſaltem obtunditur ſenſus in linguæ papillis, à paralyticâ reſolutione.

§. XXXV. Pica, *alia eſt guſtûs depravatio, quâ ſæpius virgines, interdùm viri res plerumque abſurdas appetunt, gypſum, carbones, acetum, ſal, piper, cinnamomum, aliaque quæ fœda ſunt, vel horrori ſanis forent.* Cauſa ejus proxima ſaliva eſt, ſed peculiari vitio infecta: ſi hoc vitium fuerit palato gratum, feretur æger ad ſimiliá; ſin ingratum, ad ea quæ ſunt ſalivæ conſtitutioni contraria: ea quoque non raró ſequitur Cibi Faſtidium. Cùm ſibi vult æger proſpicere & ſentit ſe cibos averſari conſuetos, tunc ſe convertit ad res inaſſuetas & plerumque abſurdas. Contagio quodam ſerpit hæc lues inter virgines melancholicas, aut exemplo, aut ſuaſionibus,

ſionibus, aut ex quâdam moroſitate, quâ putant falsò leporem ſibi conciliaturas, & reverà Chloroſim ſibi conciliant.

§. XXXVI. Malacia *eſt prægnantium Pica*. Furorem dixeris Malaciam, prægnantes ſubitò quaſi œſtro percitæ, efflictim appetunt res comedendas, quas tamen votorum compotes interdùm reſpuunt. Cum furor hic ferendus eſt, aut miſeræ mulieri ſatisfaciendum, aut infortunium quoddam metuendum vel fœtui vel matri. Utprimùm inſedit gravidæ animo vehemens illud deſiderium, incenditur facies, palpitat cor aut deficit, tremunt membra, ei citò ſatisfiat aut re aut promiſſis; namque ſi furor excanduerit, excutietur fœtus. Tanta eſt in prægnantibus Malaciâ correptis perturbatio, ut hic affectus non niſi perturbato ſanguini aſcribi poſſe videatur; & unde ſanguis ad inſolitas eas perturbationes vergens? niſi ab inſpiratâ ſanguini ex aurâ ſeminali labe.

§ XXXVII. Sitis Morboſa eſt *quam copiosè liquidum non explet*. Fauces penetret ſaliva ſalſior, non explebitur ſitis. Salivam reddunt ſalſiorem condimenta piperata, ſalſa, acria; inſuper immodica exercitia, garrulitas diuturnior aut vociferatio, vigiliæ, calidioris aëris hauſtus, motus febrilis, Diarrhæa ſeroſa, Diabetes, Hydrops, aliaque, quæ aut ſerum abſumunt, aut ſal immodicè ſalivæ ſuppeditant.

§ XXXVIII Anorexia, Latinis Inappetentia, *eſt famis ſenſûs imminutio vel abolitio*. Niſi corrugatus ventriculus ad famem ſtimuletur, nullus eſt famis ſenſus. Erit ergo cauſa Inappetentiæ aut ſtomachi vitium, aut vitium in ſtomacho contentorum. Vitium ventriculi eſt, cum is obſtructus, inflammatus, aut paralyticus eſt. Contento-

rum, cum reſtagnat in ventriculo lympha craſſior, aut viſcidorum alimentorum reliquiæ, quæ debitam ventriculi corrugationem impediant. Propior videtur Ciborum Faſtidio Inappetentia; ſed ex eo diſtingues hos affectus. Alimenta dum manduntur, ſi faſtidiantur, ſalivæ tunc vitium eſt; affectumque hunc nomina Cibi Faſtidium. Si cum quodam voluptatis ſenſu mandantur, ſalivæ vitium non eſt, Inappetentia eſt.

§ XXXIX. Quam Græci dixere FAMEM Bovinam, Boulimon, hanc noſtri CANINAM appellaverunt. In hoc affectu furit ardor edendi. Hanc voracitatem ſua ſubſequuntur incommoda, prompta ingeſtorum vel per anum, vel per gulam rejectio, Cardialgia, Lypothimia, Syncope. Edomandæ tantæ ingeſtorum copiæ par non eſt ſtomachus. Ingeſtis verò rejectis, cibo fraudatur æger, deficit. Qui convenientiora rebus exquirunt vocabula, Famem Caninam dici voluerunt, *cum ingeſta æger evomit*; & Bovinam, *cum ea per alvum fundit*. Canes voraciores, ajunt, mox ingeſta vomunt. Voraciores boues alvum habent laxiorem, & Boulimon vulgò ſumitur pro eâ voracitatis ſpecie quam ſubſequitur Syncope. Sed unde tanta hæc in homine voracitas? ex validiori corrugatione ventriculi. Propriæ ſunt carnoſæ fibræ, quæ muſculoſum conſtituunt ventriculum. Illæ ſi fuerint ita concitatæ, ut præternaturales rugas inducant; hinc ventriculus indeſinenter cibos appetet. Sed & hæc perturbata corrugatio lædet Coctionem: hinc Vomitus, aut præceps per inteſtina rejectio; hinc Cardialgia. Lypothimia verò vel ſyncope ſequitur cibi defraudationem.

§ XL. COCTIO LÆSA & vitiata in ventriculo

ciborum digeſtio, idem ſonant. Hæc vulgò triplex, imminuta, abolita, depravata; namque *Bradyſpepſia* cibos parum coctos, *Apepſia* crudos, & *Dyſpepſia* malè coctos ſuponit. Et hunc affectum appellant non nulli cruditatem, ſcilicet acidam, nidoroſam, amaram & inſipidam. Ingeſta ſi ventriculum obruant, ſi jam cœptam interturbent digeſtionem, ſi eâ ſint qualitate, ut texturæ ventriculi non reſpondeant, lædetur Coctio. Ea quoque lædetur, ſi lædatur ventriculi motus, ita ut aut cibos ſolvere ſatis non ſit, aut præternaturam ſolvat. hæc Coctio læſa Inappetentiæ proxima eſt, ac Lyenteriam aut Paſſionem Cæliacam accerſit; quæ pendet ex activitate Coctionis, vel comitem habet Boulimon, aut Diarrhæam bilioſam. Ex Coctione læsâ plurimi oriuntur morbi, qui & eam fovent, ac nullus eſt fermè acutus morbus, in quo non lædatur Coctio, vel primariò, vel ſecundariò.

§. XLI. Tametsi Cardialgia dolorem cordis græcè ſonet, uſurpatur hic *pro dolore ventriculi.* Cum parum dolet ventriculus, affectio ejus dicitur Anxietas; & hæc antecedit Nauſeam, Vomitum, Singultumvè. Cum verò acerbior eſt ventriculi dolor, tunc is Cardialgiæ nomen retinet; & hæc inducit Lypotimiam aut Syncopem, comitaturque inflammationem ventriculi, Picam, Famem Caninam, Boulimon & Choleram Morbum. Hanc inducit ſuccuſſio præternaturalis fibrillarum ventriculi, & fibrillas ventriculi ſuccutiunt acriùs ciborum ingurgitatio, fortiora medicamenta, venena corroſiva, imò & ingeſta quævis etiam inſipida pinguiaque, cum præternaturam ventriculus tenditur, aut cum inflammatur.

§. XLII. Vomitus *eſt rerum ſolidarum aut li-*

quidarum, quæ in ventriculo continebantur, facta per os rejectio. Fiunt verò Ructus, cum flatus elati è ventriculo ſursùm erumpunt, & Nauſea inutiles ſunt vomendi conatus. In Vomitu carnoſæ ventriculi fibræ motu antiperiſtaltico ſursùm versùs contrahuntur, eoque motu coarctatur pylorus. Inde fit ſursùm in ventriculo contentorum rejectio. Itaque ſi pylorum nequeant ſubire ingeſta, & nimis oneratus fuerit ventriculus, Vomitus excitabitur. Eo pacto rejiciuntur per os cibi copioſiùs ingeſti, vinum liberaliùs hauſtum, concreti ſanguinis grumi, congeſta in ſtomacho ſaburra; ſic crapulam evomunt Ebrii, ſic abſorbta voraciùs, mox ejiciunt Fame Caninâ vexati. Excitatur vomitus ex factâ repentè fermentatione in ventriculo, aut ex acriori ejus ſuccuſſione: namque carnoſæ ventriculi fibræ inordinatè ſuccuſſæ determinantur ad motum antiperiſtalticum. Idque ſæpius poſt moleſtas Anxietates ventriculi.

§. XLIII. Singultus non fit ex ſubverſione ventriculi, ut Antiqui ſentiebant, ſed ex convulſivo diaphragmatis motu; *eſtque inſpirati promptius aëris facta in gutture colliſio.* Nequit muſculoſum diaphragma validiùs contrahi, quin totum pectus repentè dilatetur, irruatque aër in os & inter laryngis cartilagines illidatur: hinc acutus ille fractuſque in Singultu ſonus. Procreatur ergo Singultus ab inordinato ſanguinis ad carnoſas diaphragmatis fibras affluxu, ſed quaſi ſubſultim & interpolatè facto; unde & interpolata diaphragmatis convulſio. Idiopathicus eſt Singultus, cum diaphragma ipſum ſuccutitur, & ſympathicus cum ex ſuccuſſione ventriculi, œſophagi, hepatis, aliarumque partium, diaphragma convellitur: ne dubites, certus eſt nervorum conſenſus, variaque partium ſuccuſſio varios

ubique continuos nervos ſuccutit & variè, non miraberis ergo, ſi ſucculſa eadem ventriculi pars procreet Cardialgiam, & Nauſeam, & Vomitum, & Singultum.

§. XLIV. CHOLERA MORBUS *eſt corruptorum humorum per Vomitum & alvum præternaturalis & vehementiſſima excretio, vel ſaltèm excernendi conatus, nec ſine acutiſſimis doloribus, aliiſque gravibus ſymptomatis.* Ea dividitur in veram ſeu humidam, falſam ſeu ſiccam, vel ſuppreſſam & ſemi-ſuppreſſam. In verâ, rejiciuntur & per os & per anum corrupti humores, idque exuperanti copiâ. In falsâ, inutiles ſentiuntur, ſed vehementes ejiciendi conatus. In ſemi-ſuppreſsâ, Nauſea conjungitur cum Alvi Fluxu, aut è contra cum Vomitu ſummum egerendi deſiderium, ſed Alvo ſtrictâ. Choleræ Morbi accidentia ſunt hæc, dolores in Abdomine, in artubus, atrociſſimi, Convulſiones, membrorum torpor, Singultus, Lypothimia, Syn ope, extremorum frigiditas, ſudor, & quæcumque poſſunt à concuſſo toto corpore proficiſci. Corrupti humores ex depravatâ Coctione ita corpus exagitant, divexántque; carneæ tum ventriculi tum inteſtinorum fibræ, ſic ſuccutiuntur & ad præternaturalem contractionem vergunt, ut excitetur motus antiperiſtalticus in ventriculo, & adaugeatur periſtalticus in inteſtinis. Ex acri verò ſuccuſſione dolor vehemens, & ex doloris vehementiâ reliqua emergunt ſymptomata gravia.

§. XLV. ILEUS ſeu Ileos, Paſſio Iliaca, Convolvulus, & Miſerere, *eſt motus inteſtinorum præternaturam inverſus ſeu antiperiſtalticus. Eo motu fit ut contenta in inteſtinis rejiciantur per Vomitum, & Alvus maneat ſtricta.* Hinc autem motus ille inverſus, quod ductus inteſtinalis alicubi ſit præcluſus; naturalis enim inteſtinorum motus ſiſtetur ad ob-

jectum obicem, motus ille neceſſariò reflectetur & invertetur, & ſic propellentur ſursùm, motu naturæ contrario, quæ contenta fuerint in inteſtinis,nec potuerint deorsùm proturbari. Hæc inteſtini præcluſio modò fit à vermibus viam obſtruentibus, modò à conſtipantibus fæcibus induratis, nunc à tumore comprimente, nunc à coalitu ex prægreſsâ Dyſenteriâ, interdùm ab ipſius inteſtini ſubſidentiâ, cum pars ejus ſuperior in inferioris cavitatem immititur & invaginatur; interdùm quoque conſtringitur inteſtinorum via per convulſionem; aut ex retento peſſario, aut ex uteri procidentiâ, & devoluto in ſcrotum inteſtino, interdùm ſtrangulatur.

§. XLVI Colicus dolor, à dolente inteſtino colo, plerumque affecto, nomen accepit, ſumitur tamen in genere, *pro quocumque interno Abdominis dolore.* Hinc Colica ventriculi, Colica veſicæ felleæ, Colica lienis, meſenterii, renum, ureterum, veſicæ urinariæ, uteri & inteſtinorum. In Colicâ inteſtinali ſtricta eſt Alvus; dividitur in humoralem quæ plerumque calida, & flatulentam quæ frigida, non nulli addunt ſtercoroſam. Ortum ducit humoralis ab alimentis, vel humoribus ſalſis & ſuccutientibus; flatulenta à craſſis, viſcidis, flatulentis, inteſtina diſtendentibus; ſtercoroſa ab excrementis præternaturam fermentantibus in inteſtinis craſſioribus, quæ ſic vel ſuccutiuntur vel præternaturam diſtenduntur. Alvus autem ideò adſtringitur in Colicâ inteſtinali, quòd fiat à dolore, ut ſanguis inordinatè fluat ad carnoſas inteſtinorum fibras, hæ verò ſic convellantur, & nequeant ſucceſſivè moveri ad fæces detu danbas.

§ XLVII. Alvi Fluxus, ſive Diarrhæa, ſumitur in

genere *pro quâcumque præternaturam frequentiori dejectione.* Dividiturque in Alvi Fluxum lyentericum ſivè Lyenteriam, Cæliacam Paſſionem, Diarrhæam ſtercoroſam, bilioſam, ſeroſam, melancholicam atque ſanguineam. Alvi Fluxus tunc dicitur lyentericus, cum egeruntur ingeſta nullatenùs immutata; & Cæliaca Paſſio, cum imperfectè cocta. Diarrhæa ſtercoroſa eſt, cum poſt nimiam alimentorum ingurgitationem, Alvus quæ diu remanſerat ſtricta, ſubitò ſolvitur & effunduntur excrementa liquidiora. Hæc ſi flava ſint ac perſentiatur in eorum excretione calor, tunc audit Diarrhæa Bilioſa; ſeroſa verò, cum excreta vergunt ad limpida; melancholica ex eorumdem nigredine; ac demùm ſanguinea ex excreto ſanguine. Si ſanguis abſque dolore fluat ex inteſtinis, Fluxus vocatur Hepaticus; ſi cum dolore in umbilicali regione, Dyſenteria. Primæ Coctionis vitium non corrigitur in ſecundâ, quo pacto fit ut omnis Alvi Fluxus utplurimùm procedat ex læsâ Coctione ventriculi. Fit enim Lyenteria, cum alimenta nullatenùs immutata; & Cæliaca Paſſio, cum parùm mutata, in inteſtina devolvuntur. Fit Diarrhæa bilioſa vel melancholica, ex coctione depravatâ quæ *Dyſpepſia* dicitur, ut obſervatur in Boulimiâ, & Cholerâ Morbo. Hùc ea referantur quæ de Coctione læsâ ventriculi §. XI. dicta ſunt. Nec tamèn putes ſolum ventriculi vitium concurrere ad Diarrhæam. Etenim fermenta digeſtiva ſuum ſymbolum conferunt. Seroſum Alvi Fluxum ex fermentis digeſtivis ſero refertis deducimus, tum & ex uberiori tranſpiratione, quæ foris intrò fit, ex viſceribus Abdominis in inteſtina. Ad hæc, inducitur interdùm ac penè ſubitò Dolor Colicus, vel Diarrhæa, ex interclusâ cutis tranſpiratione: & quo pacto cathar-

ticorum uſu ſerum educeretur per Alvum in Aſcite, niſi ſerum contentum in Abdomine aptum per cathartica fieret, ut per inteſtinorum tunicas flueret copioſè.

§. XLVIII. DYSENTERIA *eſt inteſtinorum inflammatio, quam ſequitur frequens & dolorifica ſanguinis dejectio.* Patuit ex multiplici Dyſentericorum extiſpicio, inflammata fuiſſe inteſtina: dum ſanguis hæret aut extravaſatur in membranoſo ipſorum textu, hæc præternaturam tenduntur, parſque inflammata ex perpetuo humorum, alimentorum & excrementorum affluxu torquetur doloribus, ad frequentes contractiones ſtimulatur, difficilè conſtringitur; rumpuntur verò ipſius venulæ ex frequenti, difficili ac dolorificâ contractione; effunditur ſanguis excrementis permiſtus. Idem patitur inteſtinum in Dyſenteriâ, quod in Peripneumoniâ pulmo. Quo autem pacto Diarrhæam ſæpè ſubſequatur Dyſenteria, & quomodò hæc inducatur ex abuſu ſex rerum non naturalium, ex menſium ſuppreſſione, ex frictionibus mercurialibus, ex valentioribus catharticis, attendenti perſpicuum erit.

§. XLIX. TENESMUS *moleſta eſt ac penè aſſidua ad egerendum ſuccuſſio, quâ tamen nihil quidquam egeritur, præter mucoſam ac viſcidam materiem, ſubcruentam aut purulentam.* Affectus hic extremum rectum obſidet. Hoc ſuccuſſum contrahitur ſicut in omni Alvi fluxu, & fluxu dyſenterico ſuccutiuntur & contrahuntur inteſtina. Non alitèr ab iis fluxibus Teneſmus diſcrepat, quam ex afflictæ partis loco; ſimiliumque cauſarum ſoboles eſt. Hæ tamen adjungantur cauſæ, jam traditis, acrius ſuppoſitorium diutiùs retentum, inaſſueta equitatio, Hæmorrhoides internæ prætermodum tumentes, rectum

comprimens

comprimens veſicæ Calculus, proſtatarum, uteri, aliarumque partium Recto adjacentium inflammatio, nempè ſi hæc ad podicem uſque pertingat.

§. L. Quæ vulgò dicuntur HÆMORRHOIDES, *ſunt ipſæ venæ hæmorrhoidales varicoſæ, præternaturam tumentes, ac plerumque doloribus tentatæ.* Externæ ſunt, vel internæ; priores ano adnatæ, interdùm pendulæ, ſe ipſæ proferunt; aliæ latentes paulò altiùs, non niſi ex permiſto cum fæcibus ſanguine dignoſcuntur. Quæ abſque ſanguinis effluxu, ſiccæ dicuntur; & humidæ è quibus fluit ſanguis. Is venoſus eſt utplurimùm, unde & ſubniger. Fluxus hæmorrhoidalis interdùm recurrit per periodos, idque in plethorâ & cum bonis ægri rebus. Interdùm verò eſt ita immoderatus, ut & frangantur vires, & Syncope ſubſequatur. Hæmorrhoides ſiccæ magis dolent quàm humidæ, recrudeſcit dolor in ſiccis, cum Alvus mittitur. Utrumque genus Hæmorrhoidum ab hærente in venis ſanguine præternaturam laxis hæmorrhoidalibus, & elaſticâ contractione deſtitutis. Cauſæ remotæ & occaſionales deducuntur ex alvinis fæcibus exſiccatis, induratis, diutiuſque retentis; ex diuturnâ equitatione, veſicæ Calculo, Partu difficili, ac ſimilibus.

§. LI. ICTERUS in genere ſumitur *pro quocumque præternaturam immutato totius externi corporis colore.* Triplex eſt, albus, niger & flavus. Albus, dicitur Chloroſis & morbus virgineus. Flavus, Icterus ſeu Icteritia, Aurigo, morbus regius & arquatus. Hic, qui & præcipuè Icterus, ex obſtructo hepate oriri creditur, refertur ad ſymptomata qualitatis mutatæ, poteſtque definiri, *præter naturalis flavedo totius corporis, ex luxuriante bile.* Oritur enim ex nimiâ quantitate bilis, quæ in ſanguine

regurgitans, humores omnes ſuâ flavedine inficit. Compertum ex Icтericorum apertione, non ſolam cutem, ut vulgò creditur, ſed & ſingulas partes internas præternaturam flaveſcere. Ac tametſi ortum ducat interdùm hic morbus ex ſubitaneâ hepatis obſtructione, quæ prohibeat bilis ſecretionem, obſervatus is tamen eſt, idque ſæpius, abſque ullâ obſtructione ſaltem ſenſibili. Vehemens enim animi pathema, ut excandeſcens ira, exercitium immodicum, inhibita perſpiratio, venenatorum animalium morſus & ſimilia, Icteritiam pariunt, nempè bilem in ſanguine exaltando, abſque ullo hepatis vitio; quin etiam id videtur ſæpè obſtructum, inflammatum, ulceratum & ſcirrhoſum per totam ſubſtantiam, abſque Ictero.

§, LII. Affectio Hypochondriaca referebatur ab Antiquis inter lienis morbos. In eo humorem progigni & reſtagnare melancholicum, fuſcum & atrum, & exhinc fuliginoſos vapores excitari putabant. Sed utprimùm comperta eſt humorum indoles & indeſinentes circuitus, abrogata hæc Priſcorum ſententia, & acceptum, nullum hujuſmodi dari melancholicum humorem, nec alibilem, nec excrementitium. Factum tamen noſtris temporibus, ut morbo huic vaporum nomen inderetur. Is morbus morborum ilias eſt. Ferè in omnibus intumeſcunt hypochondria & erumpunt flatus, Colicuſque dolor per totam vagatur Abdominis regionem. Alii patiuntur pectoris oppreſſiones, palpitationes cordis, animi deliquia, pulſum varium, modò parvum, modò magnum, plerumque in variis corporis partibus inæqualem. Nunc uruntur, nunc rubet facies, nunc pallet, & interdùm ſimul frigidi ſunt in altero membro &, in altero calidi. Vertigine alii, Tinnitibuſque aurium,

ac temporum pulſationibus fatigantur. Quidam balbutiunt, quidam torpent & ſomno & ſenſu. Perpetuis quidam infeſtantur vigiliis; eaque patiuntur in paroxiſmo, nonnulli aliqua, nonnulli ſucceſſivè cuncta. Tot obruuntur incommodis, ut non poſſint non formidare ruinam. Sed ut vapores è terrâ ſublati mox diſcuti ſolent, ſic & hi vapores. Itaque definiatur hic affectus, ex frequentioribus ſymptomatis, *erratica & fugax hypochondriorum intumeſcentia, cum formidine mortis.* Paroxiſmi tempore, intumeſcunt ac diſtenduntur affectorum hypochondria, crebriores & per os & per anum erumpunt flatus, difficilis fit reſpiratio; ſed paroxiſmo ſuccedit fames naturalis & pacatus ſomnus, & ita jugi fruuntur pinguedine, ut eos primo intuitu diceres perfectè ſanos. Malo ſuo nimiùm profectò attenti ſunt, licet enim fuerint experti ſæpius fugax malum, ab eo tamen nequeunt dimoveri paroxiſmi tempore, quin metuant ſeſe mox ex difficili reſpiratione præfocatum iri, ſeſe mox Syncope, vel Apoplexiâ perituros. Quæ verò contingunt paroxiſmi tempore ſymptomata, morbi cauſam declarant, ſcilicet difficilem humorum circuitionem. Etenim ſi lien aut hepar, ubi maximè ſecernitur lympha & ſanguis venoſus, levibus tentetur obſtructionibus; ſi ſicciora fuerint in quâvis corporis parte vaſcula, aliquantiſper identidem ſiſtetur præterfluentium liquidorum impetus, intertur-babitur circulatio, laborabit machina, hypochondria tumefient, torpeſcet inteſtinorum motus, aër per ingeſta diſperſus ſenſim colligetur, in plures quaſi globos confluet, eructabitur. Ex repentinâ vaſorum diſtenſione, æger fiet quaſi attonitus, ingruent in parte afflictâ dolores, ſed vagi & fugaces. Mox verò redibit ſerenitas. Quia enim ſunt in Hy-

pochondriacis ſicciora duntaxàt vaſcula, nec tamen planè arefacta, impellens ſanguis arterioſus vias aperiet, reſtituetur æger. Adſcribimus autem levi vaſorum ſiccitati, aut levibus obſtructionibus Hypochondriacorum ſymptomata, quod hi curentur potiſſimum balneo, humectantibus & leviter aperientibus. In cauſis iſtius affectûs remotis, recenſentur exercitia immodica, longiores vigiliæ, vita ſollicitudinibus anxia, vehementiora pathemata, aliaque, quæ leves præcordiorum obſtructiones poſſunt parere, aut reſerare paululum corporis vaſa.

§. LIII. Diabetes, ſeu quem nonnulli vocant liberiori nomine Hydropem ad matulam, *eſt aucta præter naturæ modum excretio lotii, cum intenſâ ſiti, febre lentâ, ac totius corporis marcore.* Laxiores urinoſi renum ductus uberiorem ſeri copiam hauriunt à ſanguine, ſanguis verò ſeri defectu ſalſiorem ori ſalivam ſuggerit, & hinc ſitis intenſa. Lympha ſalſior lentè ſanguinem fermenteſcit, hinc febris lenta; dilutâ pinguedo ſalſiore lymphâ liqueſcit nimiùm, vix hæret ad eam vaſorum diſtenſionem quæ requiritur ut fiat nutritio, hinc marcor; laxantur verò renum ductus ab immodico diureticorum uſu, à ſuppreſſis aliis evacuationibus ſeri, veluti cohibitâ tranſpiratione; item à fermentis digeſtiuis minori copiâ ſecretis, aliiſque omnibus quibus ſanguis fit ſeroſus. Rarus admodùm eſt hic affectus, quem tamen quatèr obſervavimus, terque curavimus uſu lactis.

§. LIV. Nephritis *eſt renum inflammatio.* Hæc tamen ratione doloris confunditur cum Colicâ nephriticâ, quæ plerumque producitur abſque partis inflammatione; & inde fit, ut Nephritis in genere ſumatur pro omni renum vel ureterum dolore, qui

eum imminutâ vel abolitâ urinæ excretione conjungitur. Dolent autem renes vel ureteres, cùm hi præternaturam tenduntur à ſanguine hærente, extravaſato ac fermentante; cùm obſtruuntur à viſcidâ lymphâ, ab urinæ craſſitie, ab arenulis, à Calculo. Pars præternaturam tenſa, obſtructa & dolens, vix contrahitur ad ſecretionem lotii, cùmque lotium veſicam non influit, tunc fit Iſchuria Nephritidis ſymptoma. Lotium verò inficiens ſanguinem inducit Nauſeam, Vomitum & affectus ſoporoſos; reneſque inflammati pariunt interdùm mictum ſanguineum, interdùm abſcedunt, ulcerantur, fitque purulenta mictio.

§. LV. Calculus *eſt lapidea quævis concretio in humano corpore genita.* Propriè ſumitur pro lapide concreto in veſicâ felleâ, in renibus, necnon in urinariâ veſicâ. Calculus veſicæ felleæ, flavus, ſubniger, levis & inflammabilis, nimirùm ex ſedimento retentæ bilis concretus. Calculus verò renum & veſicæ, plerumque albus, cineritius, durus ac ponderoſus, ex tartareo urinæ ſedimento, non ex ſucco quodam, ut nonnullis recentioribus placuit, lapideſcente. Omnem Calculum potiùs per juxtà poſitionem, quàm per ſimplicem coagulationem generari probant eæ laminæ, quibus ad nucleum uſque obducitur. Interdùm urina ſanorum excreta, ſibique relicta, calculoſas deponit concretiones; ergo & in humano corpore retenta. Sed & hoc fit experimentis anatomicis & obſervationibus Medicis certiſſimum. Quot autem Calculus in corpore retentus præſtet incommoda, vel leviter attendenti patet. Ejus ſanè ſymptomata ſunt, Dyſuria, Stranguria, Iſchuria, dolores atrociſſimi.

§. LVI. Ischuria *urinæ ſuppeſſio*, Sympto-

ma in actione abolitâ, ſupervenit plurimis renum, ureterum, veſicæ ac urethræ morbis: quoties enim anguſtatur ex his partibus, una vel plures, Iſchuria ſequitur. Dixere veteres Medici Iſchuriam notham, quam pariunt morbi renum ac ureterum, & legitimam, quæ proficiſcitur à ſolâ veſicâ laborante. Cùm ultramodum veſica lotio retento diſtenditur, cùm inflammatur, cùm luxuriante ſero relaxatur, cùm facta eſt paralytica; tunc contrahi non poteſt ut profundat lotium; cùm veſicæ collum ſpaſmo corripitur, obturatur Calculo, inflammatur, cùm comprimitur urethræ ductus, obſtruitur, conſtipatur; tunc fruſtrà veſicam contraheres, urina non effluet.

§. LVII. Stranguria *urinæ ſtillicidium eſt.* Fitque cùm Calculus, vel arenulæ impediunt veſicæ ductum, nec penitùs obſtruunt. Fit verò Dysuria, quæ difficilis & dolorifica urinæ rejectio eſt, cùm arenulæ aut Calculus veſicam mictionis tempore contractam, aſperitate ſuâ lædunt ac vellicant; item cùm veſicæ collum Phlogoſi aut inflammatione tentatur; vel cùm id comprimitur ab internis Hæmorrhoidibus, uteri Prolapſu, Partu difficili, retento peſſario, aliiſque hujuſcemodi: & hinc liquet cur Calculoſi variis temporibus, Iſchuriâ, Dyſuriâ & Stranguriâ laborent. Mobilis veſicæ Calculus, modò partim, modò penitùs anguſtat urinæ ductum, interdumque nervoſas partes dolore cruciat.

§. LVIII. Ascites, ſeu Hydrops Abdominis, *eſt præternaturam facta in Abdominis cavitate ſeri collectio.* Si ſerum diſpergatur duntaxàt per cutem vel per muſculos Abdominis, Aſcites non eſt, Anaſarca ſive Intercus eſt. Si ſero præternaturæ modum turgeat uterus vel ejus ovaria, aliudvè quodpiam

Abdominis viſcus , Hydrops erit peculiaris, qui ab affectâ parte ſortietur nomen. Tympanites eſt, cùm Abdomen flatibus diſtenditur, & percuſſum reſonat. Fiuntque diverſi ab Aſcite morbi, cùm diſruptis vaſis effunduntur in Abdominis cavum ſanguis, lac, lympha, lotium & pus ab abſceſſu diſrupto. Si quis ex liquoribus proximè dictis reſtagnet cum ſero in Abdomine, Hydrops erit complicatus. Serum poteſt in Abdomen effundi multifariàm; cùm ſanguis per obſtructa viſcera lentiùs fluens uberiorem fundit perſpirationem, quàm quæ poſſit per inteſtina atque veſicam evacuari; cùm obſtruuntur pori vel ductus per quos naturaliter ſerum excernitur; cùm ſuppreſſâ per univerſam cutem perſpiratione, uberiori copiâ id ſecernitur per Abdominis viſcera; & hinc intelliges, cur non in omni viſcerum Abdominis obſtructione, ſed in aliquâ duntaxàt fiat Hydrops. Cur ligatâ viventis canis venâ cavâ, Abdomen aquâ repleatur, quare poſt venæ ſectiones immoderatas, poſt prægreſſas copioſiores hæmorragias, poſt diuturnos in humidiori loco decubitus, Hydrops ſuperveniat. Nec mireris Aſcitem eſſe aliis Hydropis ſpeciebus frequentiorem, multò major luxuriat vaſorum ſanguiferorum, lymphaticorum, lacteorumque in Abdomine copia, quàm per alias corporis partes. Hæc autem vaſa, cum ibi ſint tenuiora & laxiora, multò faciliùs perfluunt effunduntque ſerum. Omninò Aſcites curabilis non eſt, niſi diureticis, ſudorificis, ac præſertim catharticis medicamentis, quæ perſpirationis vias in inteſtinis, & in veſicâ poros aperiunt.

FINIS.